

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### **I. Übersetzung**

1 Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,  
2 quandoquidem natura animi mortalis habetur.  
3 et velut anteacto nil tempore sensimus aegri,  
4 ad confligendum venientibus undique Poenis,  
5 omnia cum belli trepido concussa tumultu  
6 horrida contremuere sub altis aetheris oris,  
7 in dubioque fuere utrorum ad regna cadendum  
8 omnibus humanis esset terraque marique,  
9 sic, ubi non erimus, cum corporis atque animai  
10 discidium fuerit quibus e sumus uniter apti,  
11 scilicet haud nobis quicquam, qui non erimus tum,  
12 accidere omnino poterit sensumque movere,  
13 non si terra mari miscebitur et mare caelo.  
14 et si iam nostro sentit de corpore postquam  
15 distractast animi natura animaeque potestas,  
16 nil tamen est ad nos qui comptu coniugioque  
17 corporis atque animae consistimus uniter apti.  
18 nec, si materiem nostram collegerit aetas  
19 post obitum rursusque redegerit ut sita nunc est  
20 atque iterum nobis fuerint data lumina vitae,  
21 pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,  
22 interrupta semel cum sit repetentia nostri.  
23 et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante  
24 qui fuimus, nil iam de illis nos adficit angor.  
25 nam cum respicias immensi temporis omne  
26 praeteritum spatium, tum motus materiai  
27 multimodis quam sint, facile hoc accredere possis,  
28 semina saepe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta  
29 haec eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse.  
30 nec memori tamen id quimus reprehendere mente;  
31 inter enim iectast vitae pausa vageque  
32 deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.

## II. Sprachliche Erläuterungen

1. Erklären Sie die Bildung von **“nihil”**!
2. Erklären Sie die Verwendung von **“animai”** (Z.9) neben **“animae”** (Z.17)!